



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatvs De Fiducia In Devm Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 10. Exemplum Davidis & Josephi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

quia Deus tuus totum tibi erit, possidebit te
totum integrum totus integer, &c.

EXEMPLA

§. X.

Exemplum Davidis & Iosephi.

Nolite timere, dixit in veteri testamento,
Deus ad Abraham: *ego protector tuus sum*
Gen. 15. Et ad Iosue: *Ne timeas*, Jos. 10. Idem
in novo repetit Salvator noster Christus ad
Apostolos suos dicens: *Habete fiduciam, ego*
sum, nolite timere Matth. 14. Et de se Prophe-
ta testatur insigni, si quis alius, in Deum fidu-
cia præditus, etiam in maximis periculis &
varijs circumdatus insidijs: *Providebam Do-*
minum in conspectu meo semper, quoniam à
dextris est mihi, ne commovear, propter hoc la-
tatum est cor meum & exultavit lingua mea.
psal. 15. Unde non erat ei difficile vivere in
pace medios inter tumultus & seditiones. In
Gen. dicitur de Ioseph: *sedit in forti arcu e-*
ius. hoc est in Deo, vox enim, arcus, in Hebreo
significat fiduciam, fortitudinem; spem, po-
tentiam; & pro forti, versio hebraica habet El
quo utrumque simul significatur, nimirum
Deus & fortis. Et verò si sane loqui velimus,
nemo fortis est, nisi solus Deus, quàm enim

M 6

omnes

omnes creatæ vires ad virtutem comparatæ
divinam sunt imbecilles & infirmæ: Hoc in-
que dedit testimonium Spiritus sanctus. Sa-
cto isti Patriarchæ, quod omnem spem
que fiduciam in Deo collocaverit. quia nati-
vum proposuerat Deum ante conspectum
suum, quemadmodum David. *Sedit in forti-
tudine eius.* Ideoque tam firmo pax eius in-
ta fundamento, nullis potuit labefactari
injuris. A fratribus suis coniectus fuit in ci-
sternam veterem ut fame periret; si confusus
fuisset in creaturis, perisset; sed quia in solo
Deo omnium conditore, quem sibi statuebat
ubique præsentem, habebat fiduciam, delcē-
dit in foveam, velut in locum quietis, sine
trepidatione, sine mutatione vultus. Paulo
post à fratribus suis venditus est Ismaelitis in
mancipium: duci se passus est in servitutem
sicut agnus ad victimam. In Ægypto ab he-
ræ suâ falso accusatus est, traditusque in car-
cerem, hic annos aliquot egit quasi in pater-
na domo semper sibi similis, nunquam que-
rulus, nunquam verbo ullo hominum mali-
tiam perfidiamque accusans; quoniam à de-
xtris erat ei Dominus ne commoveretur, de-
sertus ab hominibus præsentem habebat
Deum & præsens ejus experiebatur auxi-
lium.

§. XI.

Dei praesentia difficulter cogitatur in adversis.

Verum pro dolor fatendum est paucos admodum reperiri in mundo Davidi, paucos Josepho similes, qui cum illis possint vere dicere: *Dominus mihi adjutor, non timebo quia faciat mihi homo: Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.* Psal. 117. Quam difficile est in adversitarum jactationibus tranquillam animi pacem retinere & agnoscere divinae argumenta praesentiae in afflictionum aestu: tunc quippe videtur abesse a nobis longius. Diversis in Evangelio locis refertur quod cum Apostoli jussu Christi Domini conscendissent navim sub vesperum, & laborarent in remigando propter contrarium ventum, secutus eos JESUS. *Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans super mare: at illi ut viderunt eum ambulans super mare, putaverunt phantasma esse & conturbati omnes pro timore clamaverunt, donec allocutus est eos, & ut certiores redderet de praesentia sua jussit Petrum id rogantem venire ad se super aquas; quis enim alius verbo solo fluidas maris undas ita potuisset solidare sub pedibus ejus, ut super illas velut in*